



Iacobus à teneris annis operam literis dedit, & primitus fundamentis perceptis ordinem Dominicanorum ingressus, sese hinc inde ad uarias Academias contulit, atque in primis Hebraicæ linguæ & Theologiæ operam dedit. In ijs etiam adeo profecit, ut S. Theologiæ Doctor crearetur, & doctissimis Theologis adnumeraretur. Vnde etiam Inquisitor hæreseos constitutus fuit. Erat tum Iohannes Pfefferkorn Christianæ professionis Iudæus, qui Maximilianum Cæsarē diu multum quæ sollicitarat, ut libri ludæorum omnes, præter Biblia, abolerentur, quod essent impij ac superstitiosi, adeoque multos impedirebat, quod minus ad Christianismum conuerterent. Itaque Maximilianus anno 1510 Vrieli Archiepiscopo Moguntinensi mandat, ut Academijs aliquot, & in primis Hochstrato & Reuchlino, uiris doctissimis det negotiū deliberandi & exquirendi quid fieri conueniat. Ibi Reuchlinus contrarium sensit, atque in ijs libris multa utilissima comprehendi statuit, hocque modo Hochstratum & Arnoldum Tongrum, magnæ authoritatis uiros in Academia Coloniensi, contra se excitauit, tanquam ludæorum patrocinium suscepisset. Verum tandem Reuchlinus egregie uicit, quātumuis Hochstratus per tres annos Romæ causam egisset, & Academia Parisiensis ipsius sententiæ subscriptisset. Interim quoque Hochstratus pro se Apologiam & Cabalæ destructionē edidit, atque de presbyterorum officio librum scripsit. Itaque factum ut Iacobus apud suæ partis homines in magna existimatione fuerit, atque Erasmo Roterodamo familiaris extiterit. Eras. lib.